



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Illvstri Regi Francorvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

ANNO CHRISTI 1215. libus literis poteritis aduertere manifeste. Ad hoc igitur salutare propositum exequendum dilectum filium nostrum R. tituli sancti Stephani in Cælio monte, presbyterum cardinalem, apostolicae sedis legatum, virum utique probatæ honestatis & fidei, destinamus, merito suæ probitatis speciali gratia nobis acceptum: per apostolicae vobis scripta mandantes, quatenus eum vice nostra, imo potius vice Christi, deuote suscipere ac honeste tractare curetis, ipsius salubribus monitis & mandatis humiliter intendentes; præsertim in iis quæ pertinent ad subsidium terræ sanctæ: nos enim, quod super his & aliis ad suæ legationis officium pertinentibus prouida deliberatione statuerit, præcipimus inuiolabiliter obseruari; concedentes eidem, vt euellat & destruat, ædificet atque plantet, quæ sibi euellenda & destruenda, ædificanda occurrerint & plantanda. Datum, &c.

R. TITVLIS SANCTI STEPHANI  
in Cælio monte presbytero cardinali, apostolicae  
sedis legato.

Vt efficacius possis intendere ad subsidium terræ sanctæ, præsentium tibi auctoritate concedimus, vt iis, qui ad tuam vocationem deuote conuenerint ad audiendum verbum salutiferæ Crucis, de iniunctis sibi poenitentiis vice nostra certam valeas indulgentiam impertiri. De torneamentis autem hoc tibi duximus concedendum, vt de virorum prudentum consilio salubriter studeas quod terræ sanctæ utilitati secundum Deum videris expedire. Datum, &c.

ILLVSTRI REGI FRANCORVM.

Quam sincerum dilectionis affectum erga te ac filium tuum & regnum Franciæ habeamus, nouit ille qui testis est in cælo fidelis, cuius super hoc testimonium securè possumus inuocare: adeo quippe regni tui exaltationem diligimus, priuilegiata semper opera commendantes quæ processerunt de ipso, quod æquanimius ecclesiæ Romanæ, quam ipsi regno, sustineremus magnum aliquid aduersitatis accidere, cum facilius hæc quam illud ab imminentि posset periculo liberari. Ut ergo super hoc

R. iii

amplius securus reddaris & certus, mittimus ad tuam regalem præsentiam dilectum filium nostrum R. tituli sancti Stephani in Cælio monte presbyterum cardinalem, apostolica sedis legatum, virum vtique probatae honestatis & fidei, qui ea, qua plenius accepit a nobis, expressius tibi referat viua voce: serenitatem tuam monentes, & exhortantes in Domino, quatenus eum recipias, & honeste pertractes, ipsius acquiescendo salubribus monitis & consiliis propter Deum. Datum, &c.

In eodem modo nobili viro Ludouico carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris primogenito.

In eodem modo nobili mulieri Blanca vxori nobilis viri Ludouici in Christo filii nostri illustris regis Francorum primogeniti.

PATRIARCHÆ ALEXANDRINO.

**E**x literis quas aliquoties tua nobis fraternitas destinavit, & aliis quoque indiciis, cognouimus eidenter te non solum ad sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem tuam, verum etiam ad personam nostram specialiter deuotionem habere debitam & deuotam: propter quod habentes te in visceribus caritatis, tibi compatimur in tribulationibus quas pateris & pressuris, quamquam & tibi & nobis sit in eis potius gloriandum, cum id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis huiusmodi, supra modum in sublimitate pondus æternæ gloriae operetur, nec sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam reuelandam in illis qui pro Christi nomine patiuntur. Propter quod Apostolus sibi placebat in infirmitatibus suis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus & angustiis quas sustinebat pro Christo, & cum infirmabatur tunc maxime potens erat; sciens quod virtus in infirmitate perficitur, & quod licet per eam homo corruptatur exterior, interior tamen per eamdem iugiter renouatur: timentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum; qui suos non solum de tribulationis angustia liberat, sed etiam in ipsa tribulatione dilatat, vt quasi meridianus fulgor consurgat eis ad vesperam, & cum se consumptos putauerint, vt Lucifer orian-